



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Tribunal Poenitentiæ Sev Libri Dvo Prior De Poenitente Ut
Reo Posterior De Confessario Ut Judice**

Stoz, Matthäus

Anno M.DC.LXXXIX.

Aliæ pro capacioribus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37144

vel minimo indicio ostendere, se ægrè ferre, quòd illi, qui ipsi ordinatiè confiteri solent, interdum alicui alteri confiteantur. Imò expedit, quandoque per suam absentiam, exoblatæ vel etiam quæsita causa factam, præbere suis pœnitentiis occasionem alteri confitendi. Porrò quòd frequens Confessio apud unum sponte & constanter facta multum conducat ad emendationem, inter alias causas est etiam hæc non minima, quòd Confessarius ita melius statum pœnitentis agnoscere, aptiora remedia, & singulares industrias, quas hic inquitimus, prescribere, earumque usum urgere queat. Vide lib. I. p. I. n. 116. & seqq.

Aliæ pro minùs capacibus.

356. Examen Conscientiæ, quod vocamus generale: præcipue autem Examen alterum, quod particulare dicitur, & sup. lib. I. cap. 4. n. 33. & 34. cum sua forma & praxi explicatum est, habet quidem vim prorsus singularem ad corrigendos hominum mores; sed itidem ad neutrius perfectum constantemque usum facile ex secularibus adduci possunt alii, quam qui sunt magis capaces, & minùs occupati; posterius quoque nemo ritè peraget, nisi secundummodum perfectionis Christianæ studiosus.

Vivace apprehensione meminisse DEI præsentis, Christi patientis, Angeli deterrentis, diaboli alicantis: Item habere in mente & oculis imminentem horam mortis, irrevocabilem stricissimi Judicii sententiam, parata peccantibus inferni supplicia, promissa vincentibus eterna cœli gaudia &c. sufficere possunt singula ad lapides quoque, & non tan-

tum ad homines permovendos. Sed quomodo vera & viva horum imago poterit cuiusvis capiti & memorie imprimi? Experiuntur Spiritualis vita Magistri, Religiosorum quoque nonnullos multis meditationibus usque longo vix assequi tandem, ut hujusmodi exercitia cum fructu & sine damno obire valeant. Debent autem tales industriae Confessariis esse hotæ, quæ communiter ab omnibus etiam minus capacibus possunt sine magna difficultate utiliter observari. Eæ igitur videntur esse posse sequentes, aut similes.

Aliæ pro capacioribus.

357. I. Ante omnia inducendus est pœnitens, ut manè post somnum, & noctu ante cubitum affluescat DEO, vel Sanctis per orationem devotè se commendare. Plerumque enim peccatores, & qui maximè cura spirituali indigent, sicut tota die vivunt ut bestiæ, ita etiam manè surgunt, & vesperi incumbunt ut bestiæ, immemores DEI, & sui. Utile foret talibus etiam pro pœnitentia injungi, ut per aliquod tempus quotidie manè & vesperi recitent unum, duo, vel tria Pater, & Ave.

II. Pœnitens affluescat in hebdomade aliquoties, & paulatim quotidie semel facere, vel sepiùs bonum aliquod opus ad hunc finem, ut DEUS gratiam, ac robur ipsi largiatur, vitium illud, cui se obnoxium agnoscit, extirpandi. Sufficit autem, si ejusmodi opus bonum sit unum ex illis, quæ pœnitens jam per se vel solet, vel facilimè potest facere, uti est v. g. actus unus Patientiæ, Humilitatis, Obedientiæ, Charitatis, & maximè